

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 1: De peccatis Caput 6: De gula (21)

Idem (Isidorus):

Proxima est ventri libido sicut loco sic vitio.  
Ubi enim ventris cura est, ibi et eorum que circa ventrem sunt proxima.  
In ordine namque membrorum genitalia ventri iunguntur,  
dum unum ex hiis immoderate reficitur aliud ad luxuriam excitatur.  
Non ad luxuriam vel ad saturitatem,  
sed tantummodo ut corpus sustentetur epulis est utendum.  
Nam ut philosophi dixerunt:  
Cibi inventi sunt ut contineant animum et animam, non ut corrumpant.  
Qui nimium cibis utitur, quanto magis ventrem pascit,  
tanto magis sensum mentis obtundit,  
  
ingeniumque ebescere facit,  
libidinisque ignes ciborum fomite increscunt.

Proxima est uentri libido, sicut loco, ita uitio.  
Vbi enim uentris cura, ibi et eorum quae circa uentrem sunt proxima.  
In ordine namque membrorum genitalia uentri iunguntur,  
dumque unum ex his inmoderate reficitur, aliud ad luxuriam excitatur.  
Non ad luxuriam uel ad satietatem,  
sed tantummodo ut corpus sustentetur epulis est utendum.  
Nam, ut philosophi disserunt,  
cibos inuentos esse ut contineant animam, non ut corrumpant.  
Qui nimium cibis utuntur, quanto magis uentrem pascunt,  
tanto amplius sensum mentis obtundunt.  
Nam graeci dixerunt ex crasso uentre subtilem sensum gigni non posse.  
Nam gulæ saturitas nimia aciem mentis obtundit,  
ingeniumque hebescere facit,  
libidinis ignes ciborum fomentis increscunt;  
corpus autem quod abstinentia frangit, temptatio non exurit.

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 2.42.4-7 (CCSL 111, P. Cazier ed.,  
pp.184-5, ll.17-32).